



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Ivdiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

5. Calumniator in calcariam mittitur, in quam alium mittere cogitabat.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45699**

innocentem absoluerunt, calumniatorem autem patibulo suo reddiderunt. Qui proinde, iuxta prouerbium, suo ipsius laqueo captus, in ea ipsa cruce, quam alteri parauerat, bis pependit, quia sapius meruit.

## IV.

Dan. 3. 92.

Nunc & in igne videamus iustitiam talionis. Neque enim tacendum est, quod Daniel memorat, tribus pueris accidisse, qui ipsi illæsi ambulantes in medio ignis spectandi spectauerunt eos, extra fornacem, ardentem, à quibus iniecti fuerant. *Et non cessabant*, ait Propheta, *qui miserant eos, ministri regis succendere fornacem, naphtha, & stappa, & pice, & malleolis, & effundebatur flamma super fornacem cubitis quadraginta nouem: & erupit, & incendit, quos reperit iuxta fornacem de Chaldeis.* Quid illi? nonne ignem sibi met ipsis incenderunt? & senserunt ignem, extra elibanum, quem serui Dei in furnum calidum conditi non senserunt, suauissima aura recreati? Nimirum sæpe illud ipsum malum, quod alijs homines machinantur, incurrunt; atque ijs, quibus machinantur illud, in refrigerium commutatur, ut illis tantò ægrius sit, si videant, se non solum, id quod voluerunt, non effecisse, sed etiam technam se suam in se ipsos struxisse. Itaque tres pueros, immò tres viros illos, flamma illustrauit, Chaldeos supplicij authores deuorauit.

## V.

Ex 2. p. Chron.  
nic. Francisc.  
lib. 8. c. 28. §  
1 Catechismi  
Granat. lib. 2.  
c. 27. §. 10.

Haud absimile quiddam scribitur in vita S. Elisabethæ reginæ Lusitanæ. Habebat ea regina, inter ephebos, puerum insignem, omnibus naturæ & gratiæ donis ornatum. Nam & forma erat præstans, & ingenio vigebat, & splendebat virtutibus; præsertim pietate, ac fidelitate. Sed ò quàm periculosum est, in aula eminere! Illæ ipsæ dotes, quæ puerum reddebant amabilem, inuidiæ eum obiecerunt. Erat inter eosdem ephebos alius perditissimis moribus puer, qui non poterat pati, quòd regina alterum, præ se, præque ceteris æstimaret, & verò etiam per illum tantas (quas solebat in pauperes expendere) eleemosynas dispensaret. Maluisset enim ipse esse quæstor, diribitorque, ut nummos, pro lusibus clependi haberet occasionem. Cogitauit igitur diu, quomodo eum modo amoliri posset, ipseque in officium eius succedere. Haud utilius ei consilium incidit, quàm ut apud regem eum illis titulis accusaret, qui ob gratiam, quam apud reginam habebat, maximè pro-



probabiles, maximeq; eum suspectum posse reddere videbantur. Et valuit calumnia. Neque indignatio sinebat regem, secundum leges, in reum inquirere; sed ipse sibi pro lege, quod suadebat in æmulum furor, statim exequi cogitavit. Egit itaque cum calcaria fornacis magistro, summo silentio, & fide illius adiuratâ, ut cum tali die, & hora puerum ad illum misisset, quæsitum: *NVM MANDATA FECISSET*, illico eum, sine vlla misericordia, siue Superos, siue inferos inuocantem, arreptum in fornacem calcariam iactaret, infelicibus flammis vsulandum. Aderat iam dicta dies, aderat & hora constituta, qua innocentissimum adolescentulum ad se vocatum ire iussit actutum ad officinam Calcariam, atque artificem interrogare, *NVM MANDATA FECISSET*? It puer, ignarus ad quid mittatur. In via dum est, audit sonitum æris Campani, quo significabatur hostiæ sacræ ad populum ostensio. Qua igitur erat pietate, & more suo, ad templum diuertit, hostiam adorauit, atque ad finem vsque sacrificij inibi supplex perseverauit. Inde egressus, in alio itidem, atque alio templo dari signum consimile audiuit, ad quod, & illa templa pius viator subiuit. Interea temporis hora quoque à rege data præterijt. Quamobrem rex, qui exitum rei vehementer scire desiderabat, illum ipsum puerum calumniatorem, à quo fuerat innocens sceleratè delatus, currere iussit ad calcariam, sciscitatum è magistro: *NVM MANDATA FECISSET*? Cucurrit puer inoffenso pede, neque ad vllum templum diuertit, non solitus scilicet ante aras moram trahere, aut precibus tempus dare. Ad calcis conficiendæ magistrum ubi peruenit, & *NVM MANDATA FECISSET*, quæsiuit, ille hunc esse puerum ratus, de quo rex mandatum dederat, inopinatò in eum inuolauit, arreptumque in calcariam proiecit, nec quidquam regis auxilium opemque in amplexu, clamantem. Arsit igitur, & in cinerem redactus est; in illa ipsa fovea, in qua alteri exitium erat architectatus. Atque hoc modo summus ille Iudex innocentis causam tutatus est, & reum debito supplicio affecit, & in eum illud malum conuertit, quod ipse alijs moliebatur, ut facere solet. Hoc casu rex veritatem agnouit, & pœnâ huius tam inopinati exitus alterius pueri innocentiam, & alterius improbitatem cognouit. Itaque maligni, & perniciem alijs coquite; est in cælo, qui vos illo ipso

Eccc 2

igne



igne torqueat, quem alijs excitatis; immò optatis. Nec refert, siue ignis is sit, siue aliud elementum, aut bellua deuorans; quæcumque mala vos alijs paratis, scitote etiam paria pro vobis su-  
peresse: immò illa ipsa in vos posse reuerti. Nam ouum ouo tam simile non est, quàm historiæ modò recitatæ, seu historia, seu fabula, ex Italico authore ferè verbatim huc apponenda, in documentam calumniatorum, licet ea pœnam ignis non contineat, sed bestiarum.

## VI.

Ioan. Baptist.  
Girald. Cin-  
thius Heca-  
tomithorum  
part. 2. decad.  
8 Nouella 6.  
fol. 335. Ve-  
net. 1584. 4

Selimo Constantinopoli Turcis imperitante, captus à Piratis Lamprinus adolescens quidã cum formâ, & corpore elegans, tum animo ad omnem virtutem excultus, eidem Tyranno vt mancipium muneri est datus. Qui Tyrannus etsi truculentissimus aliàs vitam extorquere captiuis Christianis soleret, generosa tamen indole commotus vitæ ei gratiam obrulit, si eiuraret Christum. Erat tum annorum XV. oriundus ex Corfu, ac quòd tenerâ ætate rerum careret experientia, nec ita quæque suis momentis metiretur, ingenti terrore perculsus, & præsentis necessitate adductus imminentis horrendi supplicij metu, si aliter faceret, externo cultu subscriptorum se Machumetanigenarum superstitioni finxit, in animo soli Christianorum interim Deo facturus sacra, quoad melior adspiraret aura. Hoc factò, vt elegantia, ita gratia in dies apud herum creuit, quod multis, qui iam olim in aula seruebant grande peperit cordolium. Erat inter cæteros Zelimus quidam, quem ita exosum habebat Selimus, vt de illo interficiendo cogitaret; hic Zelimus aduertens, quàm bono apud Selimum loco esset Lamprinus, eo patrono se receptum in gratiam obtinere posse confidere cœpit, quare illum compositissima ad omnem submissionem oratione rogauit, vt, quando ab Imperatore nihil non facillimè posset obtinere, antiquo dignitatis pristinæ loco, reddere ne grauaretur, quo excidisset, secretarij nimirum cubicularis; promittens, se gratiam, quàm posset maximam beneficio huic immortalis redhibiturum. Erat eius ingenij Lamprinus, vt in perditis eum diem, & horam sibi numerandam arbitraretur, quæ non obsequium alicui gratificatus fuisset, quare liberaliter promissit, si quæ re patronum eius agere posset, haudquaquam intermissurum occasionem; nec multò post eam factus, tam strenuè

rem